

05

A

920





Σω Θεω

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

NORMA
FIDEI.

Quâ simul Apologiæ pro Consultatione Catholica
D. MEISNERI contra HUGONEM Jesui-
tam, Finis imponitur.

Quam

In Illustri & Celeberrimâ Wittebergensi Academia

SUB PRÆSIDIO

*Admodum Reverendi, Clarissimi & Excel-
lentissimi Viri,*

DN. BALTHASARIS MEISNERI

S.S. Theol. Doct. & Prof. P. Præceptoris & Pro-
motoris sui, singulariter observandi,

Publico Examini proponit.

M. JOHANNES MULLER VRATISLAV.

Facultatis Philosophicæ Adjunctus.

Ad diem 4. Aprilis horis matut.

In Auditorio Theologico.

WITTEBERGÆ

Excudebat JOHANNES GORMANNUS

ANNO M. DC. XXIII.

NO 10

1811

1811





In Nomine Iesu.

De

NORMA FIDEI,

CONTRA HUGONEM

JESUITAM.



ονόμαχ^o congressurus cum adversa-
rio, si postulet ut adversarius gladi-
um abjiciat, & ad pugnam veniat,
nonne talis irridendus & de circulo
gladiatorio, meritò esset proscriben-
dus? Tales autem milites sunt Jesui-

*Iesuite no-
biscum pu-
gnantes vo-
lunt ut gla-
dium Scri-
pturae abji-
ciamus.*

tæ, inter quos, ut miles quidam gregarius, *Hugo, Pa-
ter Collegii Bruxellensis*, in certamine de *Vera Fide* im-
pudenter à nobis postulat ut gladium nostrum abji-
ciamus, hoc est, Scripturam relinquamus, & hominū
somnia & ἐνπάλματα, tanquam clypeum arripiamus.
Scriptura enim est *verus gladius qui corda penetrat Esa.
49. v. 2. est armamentarium, ex quo arma spiritualia mu-
tuamur contra diabolum Epbef. 6. v. 12; est gladius anceps
pertingens ad divisionem animæ & spiritus Hebr. 4. v. 12.*
Quē gladiū dū adversarius impugnat, & abjiciendū
postulat, irridendum sese omnibus cum toto Papatu
prostituit. Quàm frigidis autem & jejunis pugnet
exceptiunculis contra hunc gladium, & *Fidei Normam,*



paucis in discursu sequenti monstrabimus, & simul toti huic Collegio nostro finem imponemus: Quâ in re si quædam ex præcedentibus repetierimus, Jesuitâ ne offendat; quod enim non satis discitur, nunquam satis dicitur. *Tu Sanctissime Deus oracula tua defende, adversarium confunde, & nos ancipiti scripturarum gladio subinde arma atq; anima.*

Thesis I.

An Patres
& Concilia
discrimen
ponant in-
ter libros
Apocryphos
& Canoni-
cos.

L Essius pag. 122. scripturam ut fidei normam rejicit, quia ex ea non constet, an sit corrupta, perversa, an additum vel detractum aliquid nec ne. Respondet huic D. M. 1. principium vocari in dubium. 2. Ex internis tribus principalibus *reprois* 3. ex aliis undecim scripturæ signis thesin demonstrat; ad quæ noster Hugo sex reponit exceptiunculas. *Prima.* Nullus Patrum de Scripturæ autoritate ita, sed ex Traditione judicavit. Deducit hoc ex Concilio, Tridentino, Florentino, Gelasio Papâ, Augustino, concilio Carthaginensi & Innocentio, hos ait testari, omnes libros esse Canonicos qui à Catholicis tales esse hodie censentur. Resp. 1. Nullum ex Patribus ita judicasse, quomodo probas? num tu vel omnes, vel totos, vel nō supposititios, vel ex interitu redemptos legisti? impossibile hoc est uni homini, id quod nemo etiam sibi hæctenus arrogavit: desine igitur universaliter pronuciare. 2. Quis Patres regulam credendi aut faciendi constituit? *scripta Patrum non sunt regula, nec habent auctoritatem obligandi, verba sunt Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 12. colum. mihi 36.* 3. Patres & Concilia sæpe errârunt. Clemens statuit Christianos non debere jurare; Basilus orantem se versus orientem debere convertere; Ignatius Sabbatho non esse jejunandum; Epiphanius per 50. dies Pentecostes genua non esse flectenda, quæ tamen Jesuitæ non crepent hodie. Concilia quoque sæpè errârunt, Hierosolymitanum damnavit Christum; Carthaginense re-baptizationem, Ariminense Arrianismum, Ephesinum Eutychianismum recepit,

recepit, quod tamen nec Pontificii hodie probant. Imo fate-
 tur *Bellarmin lib. 2. c. 2. de Conc. sub finem: Episcopos singulos sine dubio*
errare posse se junctos, cur ergo hoc non possint conjuncti in
 concilio? 4. Augustinus & concilium Carthaginense, à qui-
 bus reliqua desumpserunt, vocant equidem libros istos Ca-
 nonicos, sed alio sensu: nam duplex est *Canon*, alius *fidei*, ali-
 us *lectionis*. Ille continet libros, in quibus dogmata immediatè
 à Deo inspirata habentur fidem proponentia; hic habet libros
 ad bonos mores conducentes. Hoc posteriori sensu vocat
 eos *Augustinus Canonicos*: quod probo ex *lib. 12. de Civit: Dei*
cap. 23 ubi ait: *In his Apocryphis etsi invenitur aliqua veritas; tamen*
propter multa falsa nulla est Canonica auctoritas. Hic Canonem
 fidei illis denegat, sed in aliis locis Canonem lectionis con-
 cedit. Confer etiam *lib. 18. c. 36. de Civ. D.* Quam distinctionem
 quoque approbare videtur *Stapletonus lib. 9. c. 6.* dū alios vo-
 cat *Protocanonicos*, alios *Deuterocanonicos*. Concilium quoq;
 ipsum Carthaginense hoc tantum sensu in Canonem hos li-
 bros recepisse testantur ejus acta & verba. Imò *Thomas Caje-*
tanus in fine commentarii in histor. V. T. ad cap. 10. Estheræ
 scribit. *Libri isti (Apocryphi) non sunt regulares ad firmandum*
ea, quæ sunt fidei. Possunt tamen dici Canonici id est regulares ad æ-
dificationem fidelium. Cum hæc distinctione discernere poteris dicta
Augustini 2 de d. Chr. & scripta in Concil. Flor. Carthaginensi Laodi-
cesi. Innocentio, & Gelasio & Pontificibus. Ecce *Hugo, Pontifi-*
cius iste jam diu solutam dedit calvam tuam objectionem.
 5. Patribus si pugnandum est, Jesuita statim suâ causâ cadet:
 quod ex internis *reptis* Patres judicarint scripturam,
 monstrabit responsio ad Except. quintam. Quod autem di-
 stinctionem in libros Canonicos & Apocryphos habuerint
Lege Melitonem, Sardensem Antistitem in Epist. ad Onesimum apud
Euseb. l. 4. c. 26, Athanasium in synopsi scripturæ, Cyrillum Hierosolym.
in 4. Cateche: Hieronymum in Prol. Galeato. Epiphanium in lib. de
mens. ac ponder. Damascenum lib. 4. de Fide Orthodoxâ c. 18. Plures
inquire apud Wittakerum q. 1. de scrip. cap. 6. Polanum in Symphoniâ
Catholicâ c. 1. th. 1. p. 1. seq. Schröderum in opusc. Theol. c. 1. p. 139. 6.

*Jesuitæ non
 legerunt
 Patres.*

Iesuite cō-
trarij sunt
suis sociis in
Fide.

Quid Lu-
therus sen-
tiat de Ep.
Iacobi; ad
Hebraeos,
& de Apo-
calypsi.

Lege tandem tuorum lociorum proprias confessiones ut *Thomam Cajetanum in præfatione super Iosuaam. Lyranum in Prologo super Apocryphos. Hugonem Cardinalem in prologo Iosuae. Richardum de S. Victore lib. 2 Except. c. 9.* Lege etiam quid *Bened. Arias Montanus* scribat, qui Concilio Tridentino ipse interfuit, videbis expressa verba & nomina librorum Apocryphorum in titulo Hebraicorum Bibliorum, qui ait, *quod Ecclesia orthodoxa Hebraeorum Canonem secuta libros Graece scriptos inter Apocryphos recenset.*

Secunda. Quo interni Spiritus sermone intelligit Lutherus Epistolam Iacobi esse stramineam, Apocalypsin dubiam, Ad Hebraeos esse non Apostolicam? Resp. 1. Privata iudicia si modesta sint, & aliorum iudiciis nihil derogent, impudenter ab aliis taxantur: iudicium Lutheri autem fuit tale. 1. In præfatione super Ep. Iacobi nequaquam vocat eam stramineam. Et si prioribus id factum est; in posterioribus tamen id correxit, ac de illa præclare hunc in modum scribit: *Wiewol diese Epistel von den Asten verworffen ist/lobe ich vnd behalte sie doch für gutt / darumb daß sie gar keines Menschen Lehre setzet/vnd Gottes Geseß harte treibet.* Et sub finem. *Will aber damit niemand wehren daß er in seze vnd hebbe / wie es ihn gelüftet / denn viel guter Sprüche sonst drinnen sind.* Monstrant hæc verba quod nemini impudenter obtrudat suam sententiam, sicut Patriculi Tridentini sub fulmine Anathematis id faciunt. 3. Apocalypsin quod attinet, distinguimus inter dubiam auctoritatem scriptoris & rerum scriptarum: non de his sed de illo dubitat Lutherus, quod probant ejus verba. *Damit doch niemand gewehret sein soll/ daß ers halte für S. Johannis des Apostels/ oder wie er will.* Ecce Hugo, quod de inspiratione S. S. non dubitet, sed de ejus amanuensi an Johannes fuerit nec ne, sicuti Patres multi dubitant. Imo ipsum Concilium Laodicenum in enarratione librorum Canonicorum omittit Apocalypsin; Concilia verò apud Pontificios non errant.

Tertia.

Tertia Quo interno κριτηρίω Lutherus in serm. Conv. de multis scripturae libris abjectè judicat ut Iob, Esthera, Tobia, Iudith, Ecclesiaste &c. Resp. 1. Mentem Lutheri esse desumendam ex scriptis, disputationibus & concionibus publicis, non ex hoc scripto, in quo multa mutilatè citantur, & eo sæpè scopo dicta sunt, quem nos ignoramus. 2. *Iobum* in specie quod attinget, ait se non dubitare de veritate, sed de ordine, quo ista gesta essent. Fabulæ argumentum hunc librum etiam rectè vocat, qualis fabula hodie adhuc agitur. *Ecclesiasten* monstrat non esse illius majestatis in rebus, quâ gaudent alii libri Canonici, adeoq; *συνηλυθῶς* & comparatè loquitur. *Estheram* si simpliciter odisset cur eam in germanam linguam vertisset & codici publico inseruisset. *Tobiam* rectè dixit poema in quo de mulieribus agitur, proponit enim exempla œconomia matronis. Stulta autem & ridicula esse in hoc libro falsè Hugo ascribit Luthero, sunt enim verba D. Jonæ. *Iuditham* rectè negat esse Historiam. *Ecclesiasticum* rectè dicit esse legalem: *libros Regum* rectè dixit præcedere libris Paralipomenon. Et quid hic peccatum est mi Hermanne? Quæ autem de Tobia & Juditha in specie dixit, illa omninò ex κριτηρίοις internis desumpsit, quorum pars præcipua ab illis libris abest.

Lutherus non malè sensit de libris Apocryphis.

Quarta. Annon vera sint de libris hisce rejectis à Luthero Meisneri tria κριτήρια, & reliqua encomia. Resp. 1. De libris N. T. concedimus hæc vera esse, ideo nec à nobis nec à Luthero rejiciuntur, ut secundæ exceptionis responsio ostendit. 2. Librum Jobi, Regum, Ecclesiasten & alios Lutherus nequamquam rejecit, sed in codicem biblicum transtulit, præfationibus & commentariis illustravit. 3. *Κριτήρια* libris Judith, Tobia, Baruch & Ecclesiastico non conveniunt, vaticinia namq; nulla in illis vel de Christo, Evangelio, vel extremis temporibus habentur: mysteriorum divinitas talis non adest qualis in reliquis libris, imò ferè nulla: majestas Dei loquentis non adest: abest enim lingua Hebræa, quâ Deus locutus est; non adsunt admirandæ visiones, neque antiquitatus illi

Quid tandè de libris Apocryphis sit sentiendū.

tus illi recepti fuerunt; multa igitur his defunt *ἡγιήματα*. 4. Distinguendum est inter scripta sacra & libros Canonicos: omnis quidem liber Canonicus est scriptum sacrum, sed non contra. D. M. autem loquitur in genere de scripturâ sacrâ, cujus pars etiam sunt libri Apocryphi, quæ in moralibus suam habent virtutem & efficaciam.

An scriptura divinitas & auctoritas ex Traditionibus dependeat? Quinta. Brentius in Prolegom. & Chemnitius in Exam. ait banc traditionem unicam esse recipiendam, scripturam esse verbum Dei. Ita etiam doceat Clemens, Origenes, Augustinus; unde, inquit apparere, Patres ex traditione non internis *ἡγιήμασι* judicasse. Resp. 1. Jesuita est malus citator; Brentium enim in Prolegom. citat: Prologomena autem sunt satis proluxa cur ergo paginam non addit. Chemnitzius autem in quo libro, quâ parte, quâ facie? Fastidium hoc est disputatoris tam mutilatè citare. 2. Chemnitzius ita loquentem non lego; hoc autem lego parte 1. Exam. p. 60. Traditionum titulus est pyxis, cujus operculo omne genus corruptelarum, abusuum & superstitionum in Ecclesiam invecum fuit. Ecce tibi encomium Traditionum, quas quomodo Chemnitzius amplecti poterit? 3. Est Homonymia in voce Traditionis; quam enodat Chemnitzius part. 1. Exam. p. 61, ubi octo significata recenset. In genere autem notat omnem doctrinam sive scriptam sive non scriptam quæ ab uno, cum altero communicatur: Pontificii autem semper de verbo *ἡγιήματα* hoc exponunt, sed malè: nam Act. 6. vers. 14. 1. Cor. 15. v. 3. aliisq; in locis usurpatur de iis quæ scripta sunt. Nos hac posteriori significatione utimur, quæ scripturæ non opponitur. Patres in specie quod attinet; resp. 1. Illi non sunt norma fidei, quod antea probatum; Jesuita præterea quosdã non omnes citat, si ergo ego etiam quosdam citavero, eadem facilitate mea affirmatio procedet, quâ Jesuitæ negatio. 2. Loca Patrum loquuntur de traditione historię, nempe quæ sit Petri Epistola, quot Evangelia, quinam liber Matthæi, quæ sunt dubia non de fide sed circa fidem: nos autem loquimur de fundamento fidei, nempe de Scriptura, an illa sit norma fidei nec ne, quod sciri potest, etiam si nesciam, an Petrus vel Matthæus con-

us con-

us conscripserit. 3. Patres hic etiam sunt nostri: lege Augu-
stin. Tom. 1. lib. 6. confes. c. 5. Baptistam Montuanum de Patientia l. 3. c.
32. videbis claram literam, quam te antea non vidisse miror,
praesertim cum tantus helluo Patrum videri velis.

Sexta. *Ait propter quatuor rationes haec νεπιστεία esse insuf-* *Scripturae*
ficientia. 1. nullibi enim in aurem dicat S. ego sum sacra scriptura nulla *authoritas*
nympha susurrat Iacobi Epistola aut Apocalypsis sunt dubiae authorita- *ex internis*
tis &c. *Resp.* 1. *Quæro ego, ubi scriptura his verbis in au-* *testimoniis*
rem susurrat: Papa Romanus est caput Ecclesiae, Concilia non possunt *dependet.*
errare: Romana Ecclesia est vera Ecclesia, quastamen propositi-
ones Esavita Bellarm. omnes ex scripturis deducere satagit.
Respondes cum tuis, literam hanc ibi non legi, sensum ta-
men adesse: idem & hic audi; istis voculis & verbulis non
superstruitur nostra thesis, res tamen & sensus sunt in scriptu-
ris. Hebr. 1. v. 1. Deus locutus est in Prophetis. 2. Tim. 3. v. 15. scriptura
est θεόπνευστος. 2. Sam. 23. v. 2. Spiritus Domini locutus est per me.
Ezech. 11. v. 5. Irruit in me Spiritus Domini & dixit, loquere. Actor.
2. v. 16. Spiritus. S. dixit per os Davidis. 2. Pet. 1. v. 21. sancti sunt locuti
à S. S. agitati. Ecce Hugo, quid his verbis clarius quam: il-
lud quod hic dictum & scriptum est, est sacra scriptura. Sed scio
scio clamabis, Patres, Patres ita non probant, Concilia aliter
dicunt, Papa aliter probat: respondeo omnis homo men-
dax Roman. 3. Deus autem est ipsa veritas. 1. Sam. 15. vers. 29.
Psal. 33. vers. 4. 2. Corinth. 1. vers. 20. II. *querit unde constare possit*
vaticinia fuisse completa, nisi iterum ex scripturâ: si igitur quis scri-
pturam in dubium vocet. *Resp.* 1. *Quæro ego eodem modo,*
unde potest constare Ecclesiae testimonium esse verum? si ais
ex Ecclesiâ; quid si Ecclesiam quis in dubium vocet? Exer-
ce te Hugo in respondendo. Si fortè respondes ex Scripturâ
authoritas ejus astruitur: at gentili Scriptura est κενώδρον:
exerce te Hugo! 2. Deinde nego, quod complementa ex scri-
pturis tantum pateant; plurima enim hodie nobis ob oculos
ponuntur, ut Antichristi revelatio, Monarchiae Romanae la-
befactatio, Ecclesiae persecutio, bella, anxietas gentium &c.
quæ videmus fieri, experientiâ: imò multa ab Ethnicis nega-

B

ri non

ri non possunt & Judæis: 3. Tandem hoc κριτήριον solum non est sumendum, sed reliqua sunt conjungenda: nam signa rem signantia signant eam si conjunctim sumantur. Sic si quis dicat Hugonem esse Jesuitam, esse Doctorem, esse Patrem Bruxillensem, calumniatorem &c. hæc inquam non seorsim, sed conjunctim Personam monstrant. III. ait, *ista miracula vera esse non nisi ex scripturâ novimus; at si quis scripturam rejiciat; Quod addit Meisnerus, ex profanis etiam historiis ea vera esse, postponit scripturam historiis profanis, & ab interno κριτηρίῳ ad externum recurrit.* Resp. 1. Si quis Ecclesiam in dubium vocet, nec ejus miraculis credat, monstra Hugo, quomodo velis procedere, & tibi responde. 2. Ethnici multa viderunt miracula; sic Babylonii videbant solem tempore Hisniæ retrogredientem; Scipio Africanus vidit Eclipsin supernaturalem tempore Christi patientis, quæ vera esse ex fide majorum habent gentiles. 3. Neque hic sacra testimonia profanis aut interna externis κριτηρίοις postponuntur. Nam si Ethnicus neget hæc testimonia Ecclesiæ, Hugo autem Ethnicorum propria testimonia urgeat, non statim concedet se postponere auctoritatem Ecclesiæ, Ethnicis testimoniis: idem & hic judicet. 4. Distinguendum est inter auctoritatem scripturæ in se, & inter accidentia, quæ illi obveniunt. Nam sicut Hugo si ex Lutheri verbis nos refutat, non præponit Lutherum Papæ, sed illius verbis tanquam proprio gladio nos jugulare satagit; sic nos Ethnicos propriis verbis & testimoniis vincimus; Scripturâ nihilominus suam auctoritatem retinente, sed per accidens aliud testimonium sibi præferri patiente. Idem fit si Philosophus ex propriis principiis refutatur. IV. Excipit in Apocryphis vaticinia & miracula extare, vel posse extare. Imò sequeretur quod scriptura amplius non possit esse Iudex, sed κριτήρια illa interna, depulsâ scripturâ. Resp. ad prius, ubi in Juditha, Tobia, Syracide extant vaticinia aut miracula? ais extare vel posse extare? tuum posse refutatur per meum non posse, σπευλόλογε quid nugaris? Ad posterius dico, consequentia est nulla, si que ejus probationem adjecisses,

ses, rem gratam fecisses. Quid autem putas sequi ad hoc? si vera Ecclesia *κεκλημένη* internis cognoscitur, sequitur quod Ecclesia non sit amplius iudex sed illa *κεκλημένη*: est eadem ratio, quæ est in tuo argumento. Imò ego inverte & ajo, si autoritas scripturæ dependet ab internis *κεκλημένοις*, optimè potest esse Iudex, habet enim internum potestatis testimonium, quo certi esse possumus, eam à S. S. Iudicem esse constitutam.

II.

Lessius urget 2. rationem, quia sensus scripturæ, remotâ Traditione & Patrum expositione sit incertus, & resolvatur tantum in Patribus & iudicium privatum. Resp. D. M. 1. contumeliosum hoc esse Traditioni in Deum, qui scripsit ut intelligatur. 2. probat claritatem *bus scripturæ dictis & exemplis*. 3. Probat hoc esse contra naturam epistolæ. 4. ait sequi nullum ad nos scripturæ usum venire. 5. Propter solum Pontificem, sequi, scripturas esse datas, quod falsum & absurdum.

Primò. Excipit Esavita si contumeliosum hoc est in DEUM, sequetur etiam contumeliosum esse, scripturam remotâ Traditione non posse intelligi, sed Spiritu privato; hic enim quamvis illis est Sp. S. nobis tamen Traditio est verbum Dei. Resp. Privatum spiritum quis nostrum jactat? ne igitur nobis nova verba affingens nova etiam dogmata affingas. Consequentia autem ipsa est e-lumbis & straminea: nam si tam verè Traditio tua esset verbum Dei, quam verè Spiritus noster est Spiritus sanctus, procederet. *Tua Iesuitarum autem traditiones aut sunt verbum Dei ἕγγραφον, aut ἀγγραφον; si illud, jam noster es; si hoc; quæro ulterius, unde hoc scio? respondes potest de- ex traditione: quæ est illa? est verbum ἀγγραφον: atqui hoc est upi- fenderere. νόμῳ de quo queritur. Si ais, at testimonium Ecclesiæ hoc affir- mat: dico ego, illa mihi est dubia & suspecta, sicut tibi scriptura. Ex- erce te Hermannule, quomodo gentilem velis convertere. Scriptura autem sacra est illud unicum medium, quo hodie Deus loquitur per Moysen, Prophetas, Apostolos & per Fili-*

um, quam si quis suspectam habet, suspectum habet Deum in eâ loquentem. Hermanne credis tu hanc thesin, Papa est caput Ecclesiæ, quare? quia Papa dicit, & habet Spiritus sancti assistentiam. Cur autem non credis Spiritui sancto ipsi in scripturis de se testanti, cum credas homini, Spiritus sancti assistentiam jactanti: credis autem huic propter S. S. ergo Spiritui sancto magis credas, propter quod enim unumquodq; tale est, illud magis tale est.

Secundò excipit, quòd Deus parolarum nebulis involverit quedam ad scripturæ authoritatem conciliandam; ne sine doctore intelligeretur; hinc introducit Davidem orantem, & Christum discipulis, Philippum Eunucho scripturas explicantem. Resp. 1. Deus vult intelligi, sive loquatur ὁ Θεὸς ὁ λόγιος, sive non: ergo parabola te nihil juvant. 2. Si quædam obscuriora occurrunt ratione dogmaticorum, in aliis tamen locis apertioribus res semper habetur, cujus exemplum contrarium Esauita nullum afferet. 3. Finem cur scriptura interdum sit obscurior ponit August. Tom. 3. lib. 2. de doctr. Christ. c. 6. magnifice & salubriter Spiritus sanctus ita modificavit sacras scripturas, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiat. 4. Davidem & Christum quod attinet, distinguimus inter Deum & Papam. Rogant David à Deo, discipuli à Christo intellectum, & rectè: hoc enim nos volumus. Tu autem nos remittis ad monstrum Romanum, Papam, qui est alius ab illo; ille enim est Christus, hic Antichristus, ille verax, hic mendax; ille sancta oracula, hic impura sterquilinia proponit, ille est doctor à Deo Ioh. 3. v. 2. hic est bestia & destructor ex abisso, Apoc. 11. vers. 7. ille à Patre accepit Ioh. 14. v. 11; hic ex lacunis indoctorum Monachorum & Scholasticorum hausit: ille justus, sanctus, castus; hic latro animarum, Tyrannus conscientiarum, Pater scortorum, & Meretrix illa magna, cum quâ scortantur Reges terræ Apoc. 17. v. 2. Inverte igitur argumentum; David à Deo, discipuli à Christo non à Phariseis & Pontifice summo, qui etiam

iam Ecclesiam jaētabant, explicationem petierunt. Eunuchus à Philippo edoctus etiam contra te pugnat: quid enim docebat? Traditiones, decreta Conciliorum? consensum Petri? (fuit enim Papa ex tuo sensu) nihil horum: sed solam scripturam explicabat, Christumque patientem & pro nobis morientem ipsi proponebat. Quid autem tu cum Papa? missas, vigiliis, purgatorium, preces sanctorum, indulgentias, aliasque monachales docetis crepundias. Tandem cum nos lucidam dicimus Scripturam, *non negamus typos, vaticinia & parabolas* esse obscuras, sed fundamentalia fidei intelligimus, neque excludimus preces, & doctorum interpretationes, sed rejicimus traditiones & Papæ somnia, quæ non illustrant sed obscurant, non eruunt sed evertunt sensum.

Tertio laudat testem Lutherum, qui dicat, neminem hoc posse profiteri, quod unum scripturae librum in omnibus partibus intellexerit, id quod sexcentis scripturarum exemplis posset demonstrare. Resp. Rectissime dixit Lutherus: hinc autem non sequitur ergo scriptura non est norma fidei: nam 1. obscura est sæpe in Onomasticis, Chronologicis, Mysticis, sed in iis quæ ad salutem pertinent est satis clara, est *lucerna splendens* 2. Petr. 1. v. 19. *est lucerna pedibus & lumen semitis* Psal 119. v. 105, *est lux* Prov. 6. v. 23. *illuminatio* 2. Cor. 4. vers. 4. 2. Obscura in uno loco alibi clarius sunt posita, quod etiam fatetur Thom. pag. 1. quest. 1. art. 6. resp. ad arg. 2. *Ea quæ in uno loco sub Metaphoris dicuntur, in aliis locis expressius proponuntur.* 3. Duplex est scripturae perspicuitas, alia interna Spiritus, alia externa literæ: hanc omnes vident, qui aliquid vident; illam vero nemo ex suis viribus videt, sed ex viribus Spiritus sancti, qui nos ducit in omnem veritatem. Hinc duplex oritur respectus obscuritatis: *obscuritas literæ accidit naturaliter cæcis & surdis; obscuritas Spiritus accidit illis qui spiritualiter sunt cæci.* 4. Exemplum cape. Sol lucidus est satis; cæcus tamen hanc lucem non videt; si autem Solem accusaret obscuritatis, quæ in oculo est, rectè exploderetur. Sic intellectus noster naturâ est cæcus, animalis ho-

Scripturae
est perspi-
cua, in iis,
quæ ad fidem
pertinent.

mo enim non percipit ea quae sunt Spiritus Dei. 1 Cor. 2. v. 14. non sumus
sufficientes cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis. Imò sede-
mus in mediis tenebris Luc. 1. v. 80. Ioh. 1. v. 5. Act. 26. v. 18. Ephes. 4. v. 18.
Scriptura autem in se lucida ab intellectu cæco non potest nec
debet accusari. Orandum est ergo Psal 119. *revela oculos meos v.*
18. instrue me viam justificationum tuarum v. 27. doce me viam tuam
v. 33. da mihi intellectum v. 73. faciem tuam illumina super servum
tuum: & doce me justificationes tuas v. 135. si quis enim indiget sapien-
tia, postulet eam à Deo Iac. 1. 5.

Quarto excipit, quomodo sensus ex litera fluit, cum litera ipsa
seu sensus literalis sit saepe obscurus. Quinto. Meisnerus ait pag. 597.
ex internis negotiis apparere nihil Scripturae additum aut detractum,
estne litera internum negotiorum? Resp. Faciat Jesuita periculum
in ullo articulo fidei fundamentalis, & monstret literam ob-
scuram: contrarium ego per omnes fidei articulos demon-
strare possem, nisi ratio chartæ & typographi habenda esset.
Quid autem respondes ad exempla D. Meisneri? nihil. Cape
novum. Rom 3. v. 28. Paulus ait, homo justificatur per fidem sine o-
peribus legis. Quæro, est ne hoc legenti vel audienti obscurum?
nego; litera enim est clarissima: subjectum est homo; prædica-
tum est, justificatur, additur modus per fidem, exclusivè sine ope-
ribus. Quid clarius his dici posset? Et tamen Esavitæ clamant
scripturam esse obscuram, interim ipsi obscuri in cerebello a-
sinino, helleboro expurgando, non secus ac vetula apud Sene-
cam, quæ Solem obscuritatu accusabat, ipsa interim cæca. Quinta ex-
ceptio est jejuna sophisticatio, quam pueri solvunt per æqui-
vocationem esse ex aliquo, quod ferè tot dicitur modis, quot
modis res ex re esse dicitur: sensus est ex litera, ceu medio pro-
ximo, quo Deus utitur, ut voluntatem suam nobis aperiat.
Sensus autem est ex *κρίτησι* tanquam certitudinis *τεκμηρίω*.
Imò nullibi dixit D. M. sensum esse ex *κρίτησι*. Sed sensum esse ex li-
tera, auctoritatem ex internis *κρίτησι*. Similis ergo est tua ar-
gumentatio huic: Petrus videt, Petrus habet pedes, ergo pedes vident:
sic & tu. sensus est ex *κρίτησι*: sensus est ex litera. Ergo litera est
κρίτησι. Acumen yah quantum? ad scholas Hugo & ferulam,
ubi

Jesuita est
Sophista &
Ignorista.

ubi discas Dialecticam. Non pars sed totum prædicatum Mi-
noris assumatur pro subjecto Conclusionis.

III.

Lessus tertiam rationem adducit; cur Scriptura non sit Norma Fi-
dei, quia possit applicari contrariis dogmatibus & religionibus: Lu-
therani enim & Calviniani & Anabaptistæ dicunt se Scripturam
niti. Resp. D. M. 1. abusus non tollit usum. 2. Illustrat rem ex-
emplo legum Politicarum 3. distinguit inter legitimam ap-
plicationem & violentam detorsionem. 4. Hac ratione ipsos
Pontificios malè sua dogmata ex scripturam defendere. 5. Sic
esse incertum Ecclesiæ intellectum cum ille ex scripturis de-
pendeat. Oggannit paucis noster σπερμολογ. ☉.

*Primò. Nullus Patrum fecit scripturam solam, sufficientem cre-
dendi normam, hinc ne unus quidem à Meisnero citari potuit. Resp. 1.
Patres non esse normam factorum, Patres errasse, Patres o-
mnes nec totos à te lectos esse suprà dixi: quid ergo ore im-
pudenti Patres jactas sicut Judæi Abrahamum Patrem, à cuius
fide discesserant. 2. D. M. ait de Patribus suprà actum esse, quo
te remittit, imò quia Patres à se dissentiunt sæpè, & Esavitæ ab
illis in multis dissentiunt, quid opus fuit Patres opponere, id
quod respondet D. M. 3. Vos ipsi Pontificii rejicitis Patres in
multis, in quibus vobiscum non consentiunt ut patet ex Mel-
chiore Cano lib. 2. L. L. C. C. c. 6. Villavincenzio de rat. Studij Theol.
lib. 4. c. 6. obs. 1. Cajetano in Commentario in Genesin. Imò Tannerus
th. 83. de Iudice contr. ait: singuli Patres fallere possunt. & Bellarm.
loco superius citato ait, eos non habere auctoritatem obligandi.
Imò eatenus tantum Patres recipitis, quatenus Papa eos agnoscit & ap-
probat. Quid crepas ergo Patres, Patres; cum tui socii illorum
auctoritate non stent. 4. Si Patribus agendum, multi sunt no-
stri. Iustinus Martyr Paranesi ad Græcos in fines ωδῆ τῶν ωσοφῆ-
τῶν μόνον nos discere debere ait. Origenes in Hier. hom. 1. Tertul. lib.
de Car. Christi c. 7. non recipio quod extra scripturam de tuo infers. A-
thanas. Epist. ad Serap. Tom. 1. p. 359. Ambr. Tom. 2. de Vocatione gentiū
cap. 3.*

*Iesuitæ Pa-
tres miserè
tractat mo-
dò ad eos
provocando
modò illos
abjiciendo.*

c. 2. August. Tom. 7. lib. de Unit. Eccl. c. 6. Hieronymus in Psa. 98 Scotus in Prol. sent. q. 3. fol. 10. Durandus præf. in lib. sentent. verba ascripta singularum & plurium lege in Sympb. Cathol. Polani in c. 1. per theses plures. Quod si verò tu contraria ex Patribus afferes, cape responsum, Patres non consentiunt. Quid ergo Patribus certas, quos omnes tu non legisti, nec intellexisti, quos tui socii rejiciunt, qui à se in multis dissentiunt.

Secundo Avri Φασι affingit D. Meisnero, quasi dicat hoc loco, solam scripturam esse judicij normam, cum ante a dixerit, necesse esse ut litigantes in foro eligant præter leges judicem certum. Quomodo ergo sola lex possit esse judicis norma. Resp. Manifestus stupor est Hugonis nesciētis distinguere inter normam judicis & ipsum Judicem, qui secundum hanc normam pronunciat sententiam. In Politicis Præses secundum legem, in Ecclesiasticis Spiritus sanctus per verbum revelatum judicant. Vel ministerium secundum illud. Ubi nunc contradictio?

Iesuite sūt Hypocrita & Sophista dum dicūt, pro normâ fidei se etiâ agnoscere scripturam. Tertio excipit scripturam credi à Catholicis etiam normam, sed tantum in multis cum sit clara & ab omnibus eodem modo explicetur, se autem conjungere consensum sanctorum interpretum Resp. 1. Ex Patribus, quibus tu multum tribuis in 1. except. fuit monstratum, scripturam solam esse sufficientem regulam credendi. 2. Quod ais scripturam tum esse normam, quando ab omnibus eodem modo explicatur, desumpisti hoc ex Concilio Tridentino sess. 4. de Ed. & usu sacr. libr. Ubi verus scripturæ sensus dicitur, quem tenet sancta mater Ecclesia quod etiam vult Bellarm. lib. 1. de ver. Dei. c. 1. Quorsum hæc Hugo? ut obtineas Ecclesiam, esse majorem scripturâ, quæ nisi ab Ecclesiâ auctoritatem habeat, non plus valitura sit, quàm Fabula Æsopica; quod dictum VVolffgangi Hermanni defendit Hofius lib. 3. de author. script. Contradicit autem huic & tibi Pistorius in Hodeget. p. 6. dicens Ecclesiam non efficere ut Biblia sint verbum Dei & veritas. Procedo verò ita tecum. Si Scriptura est norma quando à vobis explicatur; aut erit norma propter se, aut propter vestram explicationem: si propter se, quid addis, cum ab omnibus eadem modo explicatur; si propter explicationem; explicatio vestra erit magis norma, cum Scriptura

Fucus Iesuiticus.

ptura propter illam talis dicatur. Ecce Theologiam Hugonis, humanæ explicationi innixam? Hoc est simplicioribus fucū obducere, & sapientioribus se prostituere? Scripturam humanis traditionibus postponere. Videat totus mundus has aures asininas Romanæ Ecclesiæ detractâ pelle leoninâ; videat & perfecto illius odio impleatur. 3. Consensum jactas interpretum, cum quo ego eodem modo procedo, ut resp. præcedenti. Sed quæro hic, qui sunt illi sancti num Apostolos, martyres, doctoresq; primitivæ Ecclesiæ intelligis? sic statim cecideris causâ tuâ: sed scio Papam te velle, quem ut sanctū credam tantum abest, quantum inter Dei filium & Antichristum.

Quartò objicit: *hoc est in questione, quomodo ex solâ scripturâ constet, eam vel verè vel apparenter applicari: quomodo id ex textu pateat &c.* 1. *κρινόμενον* facis, quod non est *κρινόμενον*. Modus scripturarum sensum inquirendi traditur à multis nostratium, vide enim *Flacium in Clave, Gerhardum in Tom. 1. Mentzerum in disp. 3. Antipistor.* aliosq;: hoc autem hic est in quæstione, an non leges in foro ab utrâq; parte applicentur litigantium, interim Codice manente Normâ; idem & fieri in Ecclesiâ: ad hoc debuisses respondere sed *taces.* 2. Falsam applicationem si ex scripturâ tu non judicas unde ergo? ex Ecclesiâ Romanâ, sed hæc gentili est suspecta: urges dicta scripturæ: *dic Ecclesia &c.* sed dubitat hæreticus an tu sis vera Ecclesia: quid ergo faciendum? *Aut ex scripturâ aut ex Ecclesiâ: ex hâc non potes; hæretico non est Ecclesia neq; ex Scripturâ, tu enim hanc non concedis: unde ergo: Hugo exerce te cum Patribus Collegii tui & responde.*

Hugo fingit
κρινόμενον,
qua tamen
non sunt.

IV.

L Essius quartam urget rationem, *quod sit ridiculum scripturam Iudicem constituere, quia non liquidè constet, utri parti favoreat.* Resp. D. M. 1. Negando antecedens. 2. Explicando exemplis. 3. Distinguendo inter Iudicem coactivum & discretivū.

Q

4. Mon-

4. Monstrādo quomodo hæretici privatum, Christiani verum sequantur Judicium. 5. Premendo adversarios cur ex sacris nobiscum disputent. Excipit noster Hugo, ut sequitur.

Primò. Negant hoc omnes hæretici sibi constare, quibus credendum erit. Imò nec Meisnero constat an hæretici alii se sentiant damnatos. Deinde idem affirmant Calvinistæ & Anabaptistæ de Lutheranis. Deniq; quod Meisnerus dicit, se eodem jure rejicere Pontificem, quo ille Lutheranos, ait hoc eos eodem jure facere, quo jure fures rejiciunt Magistratum à quo nec judicari nec suspendi volunt. Resp. ad 1. distingue inter negationem oris & cordis non convicti, & inter illam, quæ est cordis convicti, hæc non illa communis est hæreticorū. Deinde Falsum est, quod hæreticis sit credendum, nam ὁμοίως μὲν λαλῶσιν, ἀνόμια δὲ φρονησῶσιν, inquit Iræneus. Imò cur vos Pontificii nobis nō creditis, qui aliàs pro hæreticis habemur. Constat quoq; nobis optimè, Calvinianos & Anabaptistas se videre damnatos, nam violentæ scripturæ detorsiones, absurda contradictiones cum anxio defendendi conatu hoc satis monstrant. 2. ais idem dicere Calvinianos & Anabaptistas de nobis: sed dicunt, & nihil magis. 3. Jesuita Lutheranos comparat furibus qui à Papa nec judicari nec suspendi volunt. Quid audio? Papa nos vult suspendere? aperi tandem oculos, orbis terrarū, & vide Confessionem Jesuiticam Papa est Magistrat⁹? quis vocavit, constituit? Illud quidem verum est, quod nobis mortem minetur & sic est latro animarū, carnifex conscientiarum: nos autem fures esse unde probas? sed jam video quid velis: furamur nos Papæ Indulgentias, Missas & Thesaurum, ex illis corradendum; extinguimus purgatorium, eripimus mille animas, quas si ad inferna secum traheret, nemo tamen auderet dicere, Papa quid facis, ut habet Jus Canonicum. O sanctissimi fures; tales n. fuerunt Apostoli & Prophetæ olim, decollati, suspensi & trucidati. An verò ille non sit fur iniquissimus, qui Laicis scripturam & Calicem, Christoq; oves furatur, judicabit mi Hugo tua conscientia in ultimo mortis articulo.

Audite Lutherani: nos sumus fures à Papâ suspendēdi.

V.

Lessus quintò offert simile, nos esse ut *Cajus & Titius, qui ex solo*

solo Codice sine alio Iudice velint sententiam decidere. Resp. D. M. in foro esse Judicem coactivum, in Ecclesiâ discretivum. Repo- nit Hugo, solutio est ineptissima, quare, quia argumentum Lessij ni- hilominus valet. Videte Jesuitæ acumen Hugonianum? quæ ul- terior ratio, quia sicut in foro, ita & in Ecclesia opus habemus Iudice. Hem artificem & exemplar disputatoris! qui per argumenti repetitionem & principii petitionē argumēta solvit, sed quod artis (Sophisticæ scilicet) est, aliis verbis. Subjungit, hinc apparet Meisneri distinctionem, præterquam quod falsa est, nec in loco nec tē- pore allatam. Quæ autem est ratio? limitasne? [distinguisne? vel quid facis? nihil horum: reliqua quæ addis sunt res priores a- liis verbis repetitæ. Admiramini tandem vos Lutherani hæc acumina Jesuitica & transite ad partes illorum, multum enim (ineptiarum) habent in recessu.

Jesuita Bel- larminizat.

VI.

L Essius sextò experientiam laudat testem, nam Lutheranorum & Calvinianorum controversiæ hætenus non sint decise, licet Scri- pturam utraq; pars habuerit Iudicem. Resp. D. M. 1. hic controver- sias coactivè nō terminari. 2. expetit sectarum enumerationē, 3. ait Lutheranum esse illum, qui subscribit Confessioni Augu- stanæ invariatae &c. Tandem oppugnat Pontificios ex dissen- su mutuo. Excipit noster Hugo tria.

Primò. Lessium sibi tale nihil imaginari, nihil enim posse discerni ex Scripturâ sacra priusquam ad coactionem deveniatur. Resp. imò si prius ad coactionem deveniendum est, sibi Lessius imagina- tur coactivum iudicium: quid ergo coaxas rana, negando id quod ille quem tu defendis, non negat. Hugo Lessiū dum defen- dit accusat.

Secundò. Enumerat sectas Lutheranorum, ut Antinomos, Ma- joristas, Accidentarios, Ubiquitistas, Antimarianos, Invisibiles &c R. I. Pōtificii valde incerti sunt de numero sectarū inter Luthera- nos; nam Bellarm. lib. 4. de Eccl. c. 9. numerat 20. Lessius in 10. ratione cont. Fid. Lut. 10. numerat. Iodocus Coccius lib. 8. de sig. Ec. numerat. 13. Florim. Ramundus in hist. 200. Hugo 34. numerat, quod est magnū incertitudinis argumētū. 2. Cur non addis Wittebergēses, Je- nēs, Hūnianos, Chēnitzianos, differūt n. & hi inter se interdū Iesuitæ nu- merant se- ctas Luthe- ranorum i- psi interim pleni secta- rū & dis- cordiarum.

Papatus sca-
tet dissensi-
onibus &
sectis.

loco nempe & tempore. 3. Ad eundem modum, ego in tuâ Ec-
clesiâ infinitas sectas possem numerare. *Ab authore, Becanios, Bellarminios, Hugonios, Hosianos &c. à dogmate Purgatorianos, Marianos, Missificos, Visibiles &c. à Loco, Ingloftadienses, Romanenses &c.* Perinde sicut tu procedis in numero hæresium ut ais nostrarum. 4. In primitivâ Ecclesiâ erant, *Eutychiani, Nestoriani, Arriani &c* qui veræ Ecclesiæ nec annumerabatur, nec illi aliquid derogabant. 5. Mi Hugo abi in finem tuum & vide contradicentes: habes enim Theologiam Lombardicam, Thomisticam, Monasticam, Interimisticam, Jesuiticam, quæ sibi in multis contradicunt ut monstrat *D. Meis. in Conf. 8. art. 2. sect. 1. Catharinus & Sotus litigant de dubitatione; Ius Canonicum & Staphylus de sub unâ communionem. Barclajus & Bellarminus de potestate Papæ: de continentia & jejunio Torrensii & Catharinus: de peccato Orig. Pighius & recentiores: de efficaciâ gratiæ Bucanus & Bellarminus; de Eucharistiâ Durandus, Thomas, Rubertus &c.* Numerâ tuas hæreses Hugo & solve tibi argumentum nobis objectum. 6. Istæ hæreses ut vocas aut consentiunt nobiscum aut dissentiant. Si illud ut Invisibiles, sumus nos ipsi & nō alii: si hoc, dissentiant aut *in verbis* aut *in rebus: si in verbis*, non sunt hæreses, alia enim verba hanc non efficiunt; si *in rebus* res illæ sunt aut *Ceremoniales* aut *Fundamentales*, si illud, non sunt hæreses, nam Vratislaviæ & Romæ non habent per omnia easdem Cere-
monias Pontificii, nec tamen tibi propterea sunt hæretici: si hoc, non sunt hæreses Lutheranorum, nam qui contra nos est, noster non est. Dele igitur tua sectarum nomina.

An Luthe-
rus ipse fue-
rit Luthe-
ranus.

Tertiò excipit, nec Lutherum ipsum fuisse verum Lutheranum, dissentiat enim in multis locis, suprâ ostensis: adducit etiam 6. art: ex lib. de libert. Christ. quos repugnare ait ait. 6. Conf. Aug. Imò nec Philippum fuisse, qui 12. Confessionem illam refabricavit; tandem vix ullū superesse hodie Lutheranum, qui sequatur illam confessionem. Resp. 1. si tu suprâ dissensiones Lutheri monstrasti, monstravimus tibi suprâ, illas fuisse confictas: imò non ex prioribus sed posterioribus scriptis de genuinâ Lutheri mente esse judicandum, sæpè ipso Luthero volente, monuimus. 2. Sex propositiones
quas

quas adducis minimè repugnant articulo dicto, imò ita consentiunt ut verè sint eadem verba, quod ipsum vel Papæ Romano vellem judicandum relinquere. Fingis ergo, somnias & imaginariis tibi *ἀνυλογία*; imò ex tuo ingenio absurdo & cōtradietorio alia iudicas. 3. Philippus si refabricavit sæpius Cōfessionem, nihil inde sequitur: nā fortè tu duodecies tuas nugas contra D. Meisn. refabricasti, numne ampliùs pro Pontificio non es habendus. Et si quid in rebus mutasset, quid hoc ad religionem totam? invariata nos habemus Confessionem. 4. Falsissimum est, quod hodie vix ullus primam illam confessionem sequatur, in omnibus enim Academiis Lutheranis & territorio in primis Saxonico per Dei gratiā illam primam retinemus, quod res ipsa testatur, nostra conscientia & mundus universus. Desine igitur mentiri & sectas nobis diversas affingere.

VII.

Immiscet hïc Jesuita ex confid. 8. argumentum (ita *ἀνεπίστα* procedit) quod ait supra omissum (negligentiā & ignorantia) *quod diversis in locis à nostratibus diversa scibantur.* Resp. D. M. si accusasse sufficit, quis innocens erit: excipit Hugo, *si negasse sufficit, quis nocens erit?* Nasutule Jesuita: D. M. non tantum negat sed etiam causas negationis addit; tu autem cum Lessio accusas in genere, & nihil demonstras in specie. D. M. autem producit factum contrarium, tuam destruit concordiam fictam, & quomodo de hæresibus sit sentiendum informat. Ad hæc Jesuita multum quā verba, pauca, quā res & pondus, excipit.

Primò. Supra fuisse ostensum Canonicas scripturas à Luthero fuisse mutilatas. Resp. i. fictam esse à te hanc mutilationem quoq; supra ostensum est. Papa potius in suā vulgatā versione plusquam sexcentis vitiis mutilat & corrumpit Scripturam miserrimè. Et quæ est illa nobilitas, quā vos ornatis Scripturam? *Leo X. ad Bembum vocat fabulam de Christo: Bembus ad Sadoletum nugas Apostolicas; Hermannus Coloniensis Fabulas Æsopicas, Colloquium VVormatiense materiam litis, Andradius nasum flexibilem, scripturam.*

*Latomus ambiguam; Canisius mutilam, alij Sphingis anigmata, Sybil-
la folia, Protagora principia &c. quæ tibi remitto.*

*Secundo ait Concordiam nos non posse habere cum Patribus, quia
vocemus illorum nævos, id, quod Romani profiteantur. Resp. 1. Con-
cordiam cum Patribus demonstravit D.M. in AntiLessio per
omnes articulos; cui adjungat Chemnitzium in L. & Ex. Perkin-
sum in Ementoti Catholic. Pelargum in Nov. lesuit. Heilbrunnerū in
Papatis Anticatholico. 2. Nævus rectè vocamus errores privatos,
qui nec ab omnibus Patribus, nec de omnibus articulis fue-
runt dicti.*

*Tertio. Objicit quædam Loca ex Luthero, ut est illud, quod suã
doctrinam habuerit, à Deo, Papatu, Diabolo. Rectè dixit: nam Deus
fuit causa principalis illuminans: Diabolus externa tētationib9
subinde ad scripturas impellens. Papatus objectum, quod fa-
ciebat ut ἐν τάλματα hominum cum scripturis conferret, &
sic in veritatē inquireret. Dicta reliqua Lutheri sunt vera. Nul-
lus enim Patrum fuit qui non habuerit suos etiã nævos, nullus
ita Synopticè proposuit, nullus tantâ felicitate in medio Pa-
patus furore veram doctrinam propagavit, ut Lutherus.*

*Quarto ait nec Lutheranos cum Calvinistis nec sine illis inter se
consentire. Resp. Prius nec dicimus nec opus est: posterius falsū
est, quod monstrant tria Symbola cū Formulâ Concordiæ, qui
libelli symbolici monstrant harmoniam nostrarū Ecclesiarū
Posterius autem probat quia Lutherani se sub nomine Lutherano-
rum, quod retinent, mutuis lacerant scriptis. Resp. ita olim Ethnici
& Judæi exagitabant Christianos in primitivâ Ecclesiâ teste
Clemente Alexandr. lib. 7. Strom. Imò tempore Apostolorū erant
falsi doctores, qui Apostolorum nomine se velabant; hi autē
veræ Ecclesiæ nihil derogabant. 2. Jejunè concludis, vocant
se Lutheranos, ergo sunt; quasi verò, res à nominibus, nomina
autem non à rebus penderent. 3. Fratrem γνησίως nostrum nō
esse, qui Confessioni nostræ non subscribat supra diximus: re-
pete etiam quæ th 6. diximus ad 2. Exc. est enim eadem respon-
sio. Tandem Calvinistas cur immisces? illi ex nobis prodie-
rum sed de nobis non fuerunt,*

Quinto

Quinto Cochläi libellum objicit, qui ex Tomis Lutheri ἀλλο-
γίας collegit multas. Resp. 1. Priora scripta in quibus Papiffabat,
sæpè contradicunt posterioribus, ubi non papiffat. 2. Non in
verbis sed rebus latent contradictiones: Cochläus a. verbula
pauca hinc inde corrasa citat. 3. Mutilatè citat plurima, quæ si
integra essent, sensus nullus esset contradictorius: nã scopus,
circumstantiæ & alia deficiunt, ex quibus tamen sensus ge-
nuinus dependet. Tu potius vide contradictiones superius ci-
tatas, in quibus sat habes ut desudes.

Addit etiam non valere exceptionem, quod Lutheranis-
mus sit terminus à quo, sicut vera Ecclesia semper est termi-
nus à quo deficiunt hæretici. 1. *Quia Antagonista citati à nobis pro
genuinis fratribus habentur* Resp. Repete 6. resp. datam ad exc. 2 in
thesi 6 & adde hoc: in libellis nostris symbolicis & scriptis e-
lecticis contrarium novit totus mundus. Vide etiam tuam
crassam ἀλλογίαν: hic ais, illos à nobis dici nostros fratres;
superius p. 376. v. 22. ais, quod nos Zvinglianorum & Calvi-
nianorum harmoniam, voce, pectore & stylo aversemur. 2.
Quia retinent nomē Lutheri & omnes pro unā contra ceteras pugnant.
Resp. de nomine repete resp. ad preced. except. Cætera quod atti-
net, pugnant quidem omnes contra Papam, sed non sequitur
eos intra se in omnibus convenire: sic Pontificii & Calvinia-
ni contra nos disputant, negando Communicationem Idio-
matum in Christo, sed Hugo non concedit, quod inter se in o-
mnibus conveniant. Deinde monstra mihi in primitivā Ec-
clesiā ullum hæreticum, qui veræ Ecclesiæ membrum se non
jactavit? numne autem statim concludes, illum fuisse mem-
brum? 3. *Quia intra nostram Ecclesiam sint ista schismata, quod
aliquot Theologorum testimoniis confirmat.* Resp. Phrasis intra
nostram Ecclesiam est ambigua: aut enim notat externam
congregationem, aut internam consensionem: prio-
ri modo concedimus & sic intra Ecclesiam primitivam
erant schismata; posteriori sensu negamus: sic enim
apud nos est summa unitas Fidei. 4. *Quia nulla ex
to. scilicet sibi auctoritatem sumpserit, alteram in Concilio
damnandi.* Resp. Consequentia Majoris est nulla: nam in V. T.

Quid de le-
bro Cochläi.
Contradi-
ctio impu-
dens.

Concilia nō
sunt nota
Ecclesie, sic
enim omnes
impii &
Ethnici es-
sent Ec-
clesie.

Eccle-

*Ecclesia Iudaica non damnavit in Concilio Ægyptios, Baalitas, Philistæos &c. neq; in N.T. ipsi Apostoli Hymenæum & Alexandrum 1. Tim. 1. v. 20. Phygellum & Hermogenem 2. Tim. 1. v. 15. Philetum 2. Tim. 2. v. 17. Imò nec Nicolaitas, Simonianos, Menandrianos, Gnosticos &c. in Conciliis damnârunt sed solo Verbo quod testantur Euseb. lib. 3. c. 23. & 25. Epiph. lib. 1. Tom. 2. hæresi 22. 23. 24. 26. Et quia Concilia errare possunt ut supra ostensum, cur standum est illorum autoritate? imò & Turcæ possent in Concilio Papam damnare, nec tamē Papa exinde Turcam pro verâ Ecclesiâ judicaret. De Philippo superius responsum est. Dele igitur mi Hugo plausibilem & Pompofam tuam Conclusionem: & responde ad exempla Judæorum. & Ethnicorum, ad testimonia Patrū, ad rationes nostram concordiam confirmantes, vestram destruentes; ad rationes de judicio hæreticorum à D.M. allatas. Taces ad hæc & sic (tuo procedo modo) novam hæresin Jesuitarum constitu- is, quæ vocatur, *Tacentes*.*

VIII.

TAndem Lessius contendit privatos nunquam remissos esse ad scripturam, sed ad sacerdotes. D. Meisn. dictis & exemplis scripturæ contrarium demonstrat: ad quæ Jesuita excipit; ut sequitur. Inquit: *Esaïas loquitur de scripturâ testante an vaticinia evenerint. Ioh. 5. intelligi scripturas à Christo explicatas. Luc. 16. audire, non legere jubemur. Epistolam Pauli esse græcè scriptam; ergo nō ad Idiotas; Petrum ipsum fateri, quædam esse in illis difficultia. Nec trivialem sermonem dari in scripturis, cum stylus ibi singularis antea assertus sit. In reliquis locis nullam fieri mentionem lectionis, Timotheum fuisse Episcopum, non sequi debemus Spiritus probare, ergo scripturam legere. Tandem ad locum Deut. 17. à Bellarm. fuisse responsum. Sed resp. 1. Hugo pro Lessio debuisset ita excipere ut monstrasset, Laicos nunquam remissos esse ad scripturam, contrarium tamen hic concedere cogitur. 2. Esaïam & Johannem quod attinet, monstrant illi apertè ad scripturam remissos esse Laicos; ille pro veritate vaticinii, hic pro veritate personæ Christi; addit, fuisse scripturas à Christo explicatas; id & nos volumus, Laicos debere legere scripturas à Christo explicatas. 3. Audire & legere*

Pontificij non possunt negare Laicos ad scripturam esse remissos.

legere non sunt contraria, dum enim lego, etiam audio illum, quem lego; imò qui audit alium res dubias decidentē ex scripturis, ille audit ipsas scripturas. 4. Apostoli scribebant græcè, græca enim legebantur omnibus gentibus. 5. Difficilia quædā esse in scripturis nemo negat; clariora autem ea esse in locis aliis, etiam certum est, præsertim si res sit fundamentalis & fidei. 6. Sermo trivialis & stylus singularis non repugnant, hoc enim facit styli singularitatē, si res divinæ & magnæ stylo triviali commodè efferantur. 7. Timotheus quidem fuit Episcopus, sed quod Scriptura illum solum, non etiam Laicos instruat ad salutem, Jesuita debuisset probare. Imò ab infantiā non fuit Episcopus, à qua tamen tractavit scripturas. 8. Hæc verba equidem non habentur in scripturis, *vos Laici legite Biblia*, hæc tamen habentur, *requirite in libro Domini Esa. 34. v 16. Scrutamini scripturas Iob. 5. v 39.* quæ prioribus æquipollent. 9. Spiritus probare & Pseudopphetas vitare unde possumus nisi ex solo verbo scripto? Papa enim modum probandi Spiritus aut ex suo cerebro, aut ex scripturâ desumit: illud non potest, homo namq; est, qui errat sæpius; si hoc, sanè concedat necesse est, Scripturam esse fundamentum probandi Spiritus, ad quod legendum, scrutandumq; Laici etiā sunt remittendi, præsertim cū vox hæc generalis ad omnes pertineat, *probate Spiritus*, Bellarmini responsio est jejuna in *lib. 3. de verbo Dei c. 4.* ad dictum Deut. 17. ad quam à D. M. responsum est in AntiLessio, quod tu debebas solvisse. Notetur tamē ignorātia Bellarmini, quod vox *docuerint* etiā in fontibus, nō in vulgatā versione tantum reperitur ut ille quidem ait. Item quod falsum sit idololatriam, fuisse occasionem ferendi hanc legem, cū lex de idololatriā vitandā, huic legi ut antecedens nō ut causa proponatur. Hic autem colophonis loco notet lector, *nihil responderi ab Hugone ad exempla Ezechie, Iosue, Eunuchi & ad dicta Patrum, quibus se victum esse, hoc suo silentio testatur.*

I X.

Subjungit Hugo istis, responsiones ad quædam D. Meisneri quæsitā, quæ bono ordine etiam examinabimus.

I. *Questio. Cur Spiritus sanctus articulos præcipuos maxime omiserit,*

D

serit,

ferit, si articulos plerosq; nostri causâ scripsit? Respondet Hugo 1. Cur Spiritus sanctus Epistolam ad Laodicenses, carmina & parabolas Salomonis concesserit interire. 2. Cur Apostolos symbolum non jusserit scribere. 3. Imò ritus sacramentorum non sint scripti. 4. Cur magis necessarium fuerit post Christi adventum & non ab Adamo ad Mosen scribere. 5. An Stephano nō sufficerit sola Traditio ad salutem, sine scripturâ. 6. Quia Alcoranus dicat se esse verbum Dei, veritatem a. ex solâ Traditione dependere. 7. Comparat Lunam & scripturam, quòd, sicut illa vocetur Luna, obscura etiam & non plena; sic & hæc vocetur lucida, licet sit obscura; sit a. lucida tum quando illuminet. Sed respondeo. Instantia sola non solvit argumentū, nisi detur ratio dissimilitudinis aut diversitatis: quod noster Hugo planè negligit. Breviter autem ad singula. 1. Si qui libri interierunt, id nec invidiæ nec imprudentiæ Spiritus sancti, sed hominum negligentiae & incuriæ est ascribendum; ea tamen quæ ad fidem pertinent, in reliquis perfectè sunt scripta, quod fatetur Costerus in *Enchir.* pag. 48. & Pistorius qui jactat se ex solis scripturis sufficienter posse disputare. Epistolam ad Laodicenses quod attinet ais eam interiisse: negat verò hoc Salmeron Tom. 13. tract. 2. & 3. cui tu contradicis; imò in multis Bibliothecis Pōtificiis jactatur illa adhuc esse residua. Quidam volunt eam esse illam, quā priorem ad Timoth. Paulus scripsit; & dissensus sunt plurimi etiam inter vos ipsos. Vide D. Balduinum in *Disput. de c. 4. ad Coloss. quæst. 8.* Quicquid a. sit, sive interierit, sive non, sufficiens tamen regula vitæ in scriptis relictis nobis est proposita. Symbolum Apostolicum simpliciter ad salutem non fuit necessarium, sed quatenus in scripturis fundatum est: relictis a. scripturis relictum quoq; est symbolum. 3. Ritus sacramentorum est ceremonia quæ nobis malè objicitur ubi de essentialibus fidei sermo est. 4. Ab Adamo ad Mosen non opus erat scribere, Deus enim immediatè loquebatur cū Patriarchis, postremis autē temporibus per Filium Heb. i. v. i. 5. Stephanus habebat Vetus T. cū quo conferebat acta sui temporis: habebat præterea extraordinaria Spiritus sancti dona, eratq; doctor Ecclesiæ constituendæ, nos a. quærimus de Ecclesiâ Constitutâ. 6. Alcoranum impiè comparas cum Bibliis sacris: utrū verò

Hugo non
 legit 7. caput
 Actorū.

verò scriptum sit divinum, monstrant interna *νεστηρα* non traditio: nam Turca suam traditionem contra de jactans, ex tuâ traditione, quæ ipsi suspecta est, non posset refutari. 7. Scripturam esse lucidam tantum cum illuminat, ais, sed unde probas? simile adducis; sed simile rem probatam illustrat non probat. Distingue igitur inter lumen illuminans & hominem illuminandum: illud semper lucet, sed homines interdum cecutiunt: cæcitas a. hominum non luci est ascribenda. Sic *Ioh. 1. v. 5. dicitur lux ista in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt*: quæro autem mi Hugo, an lucem dicas fuisse tenebrosam, quia tenebræ illam non amplexæ sunt? Summatim, *tu es mulier apud Senecam, quæ ipsa cæca Solem obscurum esset clamabat*. Imò sic Sybillæ folia & ænigmata Sphynxis poterunt dici lucida, lucent enim, quando explicantur.

Iesuita ipse cæcus accusat scripturam obscuritatis.

II. *Questio. An discipulus ex Præceptoris, subditus ex Magistratus libro aliquid faciens, dicendus sit quod privato iudicio faciat?* Resp. Hugo, omnino, si iussus id communicare, non faceret: deinde Scriptura jubet adire sacerdotes & iudices pro sui explicatione R. Pueriliter respondes de eo, de quo non quæritur, nos quærimus an peccet si ex libro præceptoris aliquid faciat, tu respondes omnino, si id non communicaret, quod iussus est communicare. Adire jubet Sacerdotes secundum scripturam iudicantes, propriâ lectione non exclusâ sed mandatâ.

III. *Questio. Quid prodesse literæ Magni Regis, id est Biblia, si sensus ex literâ illarum non fluere?* Resp. Hugo. Cur Deus primò Hebraicè postea Græcè, deniq; Latinè scribere iusserit? cur non in omnibus linguis, ut omnes gentes intelligerent? cur Paulus græcè ad Idiotas Romanenses scripsit. Resp. Latinè Deus scribere nunquam iussit nullus enim liber authenticus habetur in latinâ linguâ Hebraicè scribebat, quia Ecclesia V. T. erat uni loco astricta, non universalis & Catholica, prout est Ecclesia N. V. Græcè scribere iussit, fuit n. lingua Græca omnium communissima teste Cicrone pro Archiâ; excellebat hæc in omnibus gentibus teste August. Ep. 200. & lib. 7. quest 37. Hinc nomine Græcorum Paulus gentes intelligit; & barbaros omnes illos æstimat, qui ea loquuntur quæ alius non intelligit 1. Cor. 14. v. 11. 12. 13. Imò Apostoli in die Pentecostes loquebantur variis linguis

Biblia prostant in pluribus linguis legenda.

Ab. 2 v. 4. adde quod in Ecclesiâ primitivâ in varias linguas Biblia fuerint versa: Hieronymus n. in Dalmaticam, Chrysostomus in Armenicam, Ulphilus in Gothicam, alius jussu Regis Angliæ in Britannicam vertit. Et Chrysost. hom. 1. in Iob. testatur Syros, Ægyptios, Æthiopes, Indos & alias innumeras gentes divina dogmata transtulisse. Hodie etiam Vandolica, Suecica, Danica extant Biblia; N. T. quoq; in Syriacam & Hebræam linguam est translatum. Quid ergo accusas Spiritum S. quasi non provideat suæ Ecclesiæ quò ad linguas.

IV. Questio. Si in causis Fidei tantum Pontifex audiendus cur nos legeremus scripturam? Resp. Hugo. 1. Si in forensibus Index tantum audiendus, cur legeremus Codicem, 2. Quis Catholicus negat audiendam esse scripturam, Traditionem, Ecclesiam? quis dicit solum Pontificem? Resp. Malè comparas forensia & Ecclesiastica, humana cum divinis; in his infallibile habemus veritatis fundamentum, ab authore Spiritu sancto: in his secus quia authores sunt homines. Judex præterea est audiendus si judicet secundum leges; vester autem Papa pro lubitu judicat satis iniquè, ut satis prolixè p. 301. & seq. monstratur in AntiLes. Edit. secunda. Rogas deinde quis Catholicus scripturam neget adeundam? Hugo insanis? dū nobiscū disputas aliud, nihil facis, quàm hoc ipsum negare. Habes etiam socios, ut Iohannem Hajum, Scotum, Iesuitam qui aut p. 114. & 119. in lib. de author. scripturæ: Scriptura est planè perniciofa ac proinde ex Ecclesiâ exterminanda. Petrum à Soto in Cōfess. Cathol. de Eccles. qui scribit, Traditiones Romanæ Ecclesiæ efficaciores & potiores esse Sacrà scripturâ. Confer etiam Staplet. Cont. 4. q. 1. art. 3.

V. Questio. Si Deus clarissime loquitur, cur de perspicuitate Scripturæ ambigis? Resp. Hugo. Quod Synodus Dordracena de quibusdam dubitaverit, & quod Meisnerus ipse de quibusdam dictis dubitet. Resp. Synodus illa nihil ad nos. Ubi autem, quando & quomodo dubitat D. M. de quibusdā dictis, demonstra vel directè vel obliquè. Laicos ad Sacerdotes remitti, nemo dubitat; sed an ad Sacerdotes pro lubitu docentes ut Papa, exclusà lectione, id verò est, de quo dubitamus.

VI. Questio. Si Papistæ iudicium privatum rejiciunt, cur nos ad privatum Papæ iudicium remittunt? Resp. Hugo. Papa non est persona privata: Et omnes Catholici dicunt secundum Normam scripturæ debere

*Pontificij
volunt scri-
pturam ex
Ecclesiâ ex-
terminare.*

debere omnem questionem à Pontifice decidi. Resp. Quis Papam
constituit pro publica persona? quis vocavit eum? Si tibi pu- *Papa est*
blica persona est, quæ publicis latrociniis, animarum carnifi- *persona*
cinis & machinis Tyrannicis toti mundo publicè innotuit, *publica.*
concedo. Et vide mi Hugo, quid respondeas omnibus hæreti-
cis, qui se personas publicas esse clamitant? Pontificem verò
secundum verbum scriptum debere decidere ais? *sed latet an-*
guis in Collegio Bruxillensi? nempè, *secundum sensum suum explica-*
tum, hoc enim *ὁφισμα* alis. Aliàs ita argumentor. *Quicquid est*
fabula Æsopica, atramentum sutorium, materia controversiarum, tra-
ditionibus subjacet, est mancum, obscurum imperfectum ac proinde ex
Ecclesiâ exterminandum, non potest esse Norma fidei. Sed talis est scri-
ptura, quod propriis tuorum verbis in th. precedentibus probatum de-
di. Quâ ergo conscientiâ, quâ fronte ais, omnes Catholicos id
velle, ut secundum eam decidat Pontifex. Sed video te velle
verbum traditum: Urget autem gentilis, se hoc non agnoscere
pro vero verbo, tu probas ex testimonio Ecclesiæ, quam ille
non accipit. Vide ergo quorsum tuis *Φλυαεϊας* devenias.

VII. *Quæstio. Quid facient Pontificij, si incidat controversia de*
ipso intellectu Ecclesiæ? & si dicta proferas; si quis dubitet an Ecclesia
illa rectè intelligat. Resp. Hugo. 1. *apud Catholicos non posse esse du-*
bium, de vero scripturæ intellectu. 2. *unde probabunt Lutherani intel-*
lectum privati spiritus esse verum? 3. *negat circulum esse si quis Ecclesiâ*
ex scripturâ, & hanc ex illâ probet. 4. *Iubet adire libellum Becani de*
circulo Calvinistico. Sed Resp. 1. Non quæritur quid vel de quo
apud vos dubitetur, sed si tale dubium vel ab hæretico, vel à
tentato offeratur, quomodo illum refutare, hunc extricare
possis. Adhæc credo ego multos esse in medio Papatu, qui ta-
lia subinde foveant dubia. 2. Quis fomniat ex nobis Spiritum
privatum? Spiritus noster est Jehova, Spiritus ille, *quem Deus*
nobis dedit Act. 15. v. 8. qui in nobis habitat Roman. 8. v. 9. cujus templum
sumus 1. Cor. 3. v. 14. cui facti sumus filij Dei Rom. 8. v. 16. ex quo agnoscis
mus Deum in nobis manere 1. Ioh. 4. v. 13. Sophisticatio quam ad-
dis procederet, si tu demonstrares Spiritum sanctum errare
posse, sicut nos demonstramus, Ecclesiam sæpius errare. Neq;
à nobis circulus committitur, si dicimus, Spiritus sanctus dat

intellectum scripturæ, quia scriptura hoc dicit; neq; enim ulterius concludimus, Scriptura hoc dicit, quia Spiritus sanctus dat ejus intellectum: quis apud nos ita loquitur? 3. Negas circulum esse, unum ex altero probari: atqui ego id demonstro Tibi ex *Becani libro quem citas p. 393* ait: *circulus est quando hoc per illud, & illud per hoc probatur apud eum qui utrumq; negat*: jã verò nos quidem non negamus scripturam; negamus autem ex hypothesisi, si nempe quis dubitet, si gentilis vel hæreticus de utroq; ambigat, quomodo vos velit extricare. Imò ego dico quod ista probatio sit impossibilis sive apud nos sive apud gentiles. Ais enim, *Scripturam de Ecclesiã testari*; Sed scriptura est atramentum futorium, imperfecta & mutila &c. cui traditiones sunt præferendæ, ut suprã monstravi tuorum verbis: ergo ex scripturâ nihil potes demonstrare: si ais; *Ecclesia tamen testatur de scripturâ, eam ita debere intelligi*, respondeo: ego dubito, an tua sit illa vera Ecclesia, & dico illam etiam errare posse; quod & gentilis objiciet. Exerce tu Hugo quid respondeas: prius membrum non potes assumere, est enim tuum principium, id, quo refutatur: posterius etiam non potes, quia illud apud me est *κενώδρον*. Libellus Becani acutissimus, *ut ais* est talis, ut, si ineptiæ sunt acumẽ, ille sanẽ sit acutissimus, hoc est ineptissimus, nihil enim aliud continet, quàm tuam tertiam responsionem, quam recoquis ut cramben ex illo. Sed ad finem properandum.

X.

TAndem Lessius argumentatur, *sequi hãc ratione, omnes Majores esse damnatos* Sed Resp. D. M. non sequi, nam ante Papæ dominatum, salvatos esse martyres, infantes & alios pios; sub Papatu etiam fuisse Ecclesiam par. 3. in Ex. demonstrat, subjungit etiam loca scripturæ & Patrum consentientiũ. Quid ad hæc noster? *brevis est; ait contraria à Patribus fuisse credita, & nostra dogmata à priscis hæreticis accepta, id quod se demonstrasse ait. Imò loca Patrum à Bell. esse vindicata.* Resp. Ita & ego dico, consensum Patrum in his disputationibus satis fuisse monstratum, & tuas exceptiunculas ubiq; refutatas. Imò si nostra dogmata hæretici acceptarunt, sequitur Christum & Apostolos

los fuisse hæreticos, quorum verba D.M. citat in hoc examine ultimo. Si quæ Bellarminus resolvit ex Patribus, tu vide probè esse refutata à *D. Gerhardo in Tom. 3. de Iustific.* quem lege. Sed quid Patres? errant, quod tui confitentur? ad verbum igitur scriptum, ubi Spiritus Dei nunquam errat.

Tandem Lessius concludit: *mori plerosq; Catholicâ Religione:* ad quod Meisnerus respondet prolixè & rē deducit, secundū omnia membra, solatium ex Lutheranismō, desperationem, ex Papismo monstrans *integrīs quinq; foliis ad quæ lectorem remitto.* Quid autem Hugo? respondet, *instar Luciani Meisnerū omnia ex: gitare scurrilibus jociis.* Sed mi Hugo, ubi frontem habes ubi conscientiam? Monstra jocum unicum liberalem tantū? sancta omnia, casta & tremenda omnia, ad quæ tu taces totus. Si confidis in ultimo mortis articulo te has Meisneri rationes posse elidere, cur jam non refutas? Et sanè si vir es, adhuc experire; quid operum tuorum operâ sis facturus in morte, an non potius *gratis, per fidem, sine operibus legis, in meritum Christi animam tuam Deo redditurus sis.* Sed protestor coram toto mundo, te ad nullam rationem in posteriori examine respondisse.

Quapropter mi Hugo, denuò oramus, per misericordiam *Patris*, quâ te subinde ut peccatorem complectitur si resipiscas; per sanguinem *Iesu Christi*, quem pro tuis blasphemis in hoc libello positis, largiter effudit, per gratiam *Spiritus sancti*, quâ te subinde vocat ad veram Ecclesiam; cessa contra conscientiam loqui; abjice Patres & Concilia, qui homines sunt, & verbum scriptum amplectere; relinque majestatem externam Synagogæ tuæ Papisticæ, & internam nobiscum cole. Cogita mortis horam, & quodnam solatium opera tua iniquissima tibi sint datura perpende, cum iis ad quæ respondere non potuisti: cogita Deum qui *iratus*, infernum qui *paratus*, diabolum qui *avidus* in ultimo iudicio erunt: & resipisce, ut iram diei illius cum sanctis omnibus possis effugere.

Vos etiam *Patres Collegij Bruxillensis*, videte in his disputationibus socium hunc vestrum *ignorantem*, qui ad plurima nihil respondit, *ignavum* qui loca Patrum non inquisivit: *superbum*, qui sæpè ait, nullum ex Patribus ita statuere, cum tamē

vix

vix minimum legerit; non veritatem qui illa negat, quæ socii sui aliàs affirmant, & contra. *Calumniatorem*, qui nobis sæpè falsissima affinxit; *Sophistam* qui verbis tantum certat, quibus detractis, res aut nullæ aut paucissimæ restarent. Videte hunc vestrum satellitem, & aliis ipsum armis in posterum exarmate, nihil enim amplius fecit, quàm vestram ignorantiam & arrogantiam in fide Romanâ prostituit, & Jesuiticum acumen monstravit, esse admodum obtusum.

Sed tu *sanctæ Iesu*, Pastor noster, Rex noster, Caput nostrum, qui dixisti; *Sum vobiscum usq; ad consummationem seculi*, age, sis nobiscum contra *violentiam & fraudulentiam AntiChristi & satellitum ejus*, contere arma, confunde consilia, everte machinos illorum; defende nos fortiter, gubernâ sapienter, & custodi vigilanter *Mulierem in deserto*, à *Dracone Romano*, *Magno illo AntiChristo*, *cujus odio perfectò, ô Deus, nos omnes imple.* Duc tandem nos ex viâ in patriam, ex militiâ ad victoriam, ut te cum *Patre & Spiritu sancto* celebrantes in æternum cantemus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est.*

Amen. Fiat!

F I N I S.



05 A 920 (1/2)

ULB Halle 3
003 761 274


90

1000

04







Σω Θεω^{ον}
DISPUTATIO THEOLOGICA
De
NORMA
FIDEI.

Quâ simul Apologia pro Consultatione Catholica,
D. MEISNERI contra HUGONEM Jesui-
tam, Finis imponitur.

Quam
In Illustri & Celeberrimâ Wittebergensi Academia
SUB PRÆSIDIO
*Admodum Reverendi, Clarissimi & Excel-
lentissimi Viri,*

DN. BALTHASARIS MEISNERI
S.S. Theol. Doct. & Prof. P. Præceptoris & Pro-
motoris sui, singulariter observandi,
Publico Examini proponit.
M. JOHANNES MULLER VRATISLAV.
Facultatis Philosophicæ Adjunctus.

*Ad diem 4. Aprilis horis matut.
In Auditorio Theologico.*

WITTEBERGÆ
Excudebat JOHANNES GORMANNUS
ANNO M. DC. XXIII.